



# Disputatio juridica inauguralis de successione apanagii

<https://hdl.handle.net/1874/342428>

8.

DISPUTATIO JURIDICA  
INAUGURALIS,  
DE  
SUCCESSIONE  
APANAGII,  
Q V A M,  
DEI TER OPT. MAX. AUXILIO  
*Auctoritate Magnifici D. Rectoris,*

JOANNIS GEORGII GRAEVII

Politices , Eloquentiae & Historiarum Professo-  
ris Ordinarii.

N E C N O N

*Amplissimi Senatus Academicī consensu , Nobilissimeque  
Facultatis JURIDICÆ Decreto ,*

Pro summis in UTROQUE JURE honoribus & Privilegiis  
ritè & legitime consequendis,

*Publico Eruditorum examini subjicit*

JOHANNES HENRICUS HESSIGIUS , Hanoviensis.

*A. D. 17. Junii , horis locoque solitis.*



TRAJECTI ad RHENUM ,

Ex Officinâ FRANCISCI HALMA , Academiæ  
Typographi , clc Icc xc.

ДАІСА ТАТАРІСТІКА  
ІНДІЯ САХАЛАІ


# SUCCESSION

ІАНІКІЛІА ФАІЛІ  
ДЕІАТІЯ ОЛІМПІА

ІОАННІС ГЕОРГІУС ГРАЕВІ

І. Е. Н. О. Н.

Іоаннікіліа Фаілі, Венгрийська



І. ВЕНГРИЯ  
І. А. Н. О. Н.  
І. А. Н. О. Н.

І. ВЕНГРИЯ  
І. А. Н. О. Н.

Ex Officina Typograficae HUMLA, Academicae  
Typographie, et Ipe ex



# PRO O E M I U M.

Ræclare in primis non de Republ. modo,  
sed & de humano genere sunt meriti,  
quibus id curæ fuit, ut ante privatorum  
utilitates, publicæ res integræ & salva  
beatæque essent; unde pia ac grata anti  
quitas, & vetustissimi mortalium, eos,  
qui vel ipsi reipubl. frænos sapienter mo  
derati sunt, eamque vel fortiter conser  
varunt, vel ejus conservandæ augendæque aut modos con  
stituerunt, aut artes ac media invenerunt; Præprimis  
vero eos qui legum salubritate, consiliisque eam stabilive  
runt, in summorum Deorum numero collocarunt; teste  
Philone Byblio apud Euseb. Præpar. lib. 1. cap. 9. Satis  
gnari eam esse humani generis conditionem, ut quantacun  
que sit privatorum felicitas, ea tamen à publica civitatis  
salute dependeat; Ne longe exempla petantur, vix ulla sa  
lubrior conservandorum regnorum, Principatuumque ra  
tio inveniri potuit, quam jus primo genituræ, uti nulla  
perniciiosior consuetudo, quæque magis & ab æquitate natu  
rali, & ab utilitate publica recedat, quam eorundem inter  
hæredes divisio. Vidi dubio procul, jam suo tempore illud  
Abrahamus, qui, testante S. S. filium suum ex justa uxo  
re primo genitum solum familiæ suæ successorem constituit,  
& reliquos donationibus quibusdam contentos esse jussit.

A 2

Videre

Videre hoc multæ quoque gentes, à quibus in Successione  
Regnum jus Primogenituræ introductum. Firmius enim,  
secundum Justinum lib. 21. futurum est Regnum, si penes  
unum remanserit, quam si portionibus inter plures fratres  
dividatur. Neque ulla inde in fratres minores Regis inju-  
ria derivatur, quibus omne jus suum ex lege concessionis  
competit, quasi primogenito deferatur successio, reliquis  
fratribus, quibus nondum quicquam juris delatum est,  
existente primogenito, nihil quoque ablatum videri potest.  
Quin è contrario maximæ potius ipsis non modo dignitatis,  
sed & commodorum accessiones fiunt; tum aucta fructibus  
ex Principatu quæsitis, in eventum successionis hereditate,  
quam allodium dicunt; tum quia ex Domanio, ut vocant,  
principatus quoque insignem redditum dignitatis suæ sus-  
tinentæ causa consequuntur; Hoc est, quod Apanagium di-  
citur, tanquam consequens introducti juris Primogenitu-  
ræ. De cuius Apanagii successione, sequens agit disputa-  
tio; Quæ, quo meliori ordine pertractetur, sit.



D I S-

D I S P U T A T I O J U R I D I C A

I N A V G U R A L I S,

D E

# S U C C E S S I O N E A P A N A G I I ,

## C A P U T P R I M U M

*De Apanagiis in genere.*

§. 1.



Riginem Apanagiorum , quod rem ipsam attinet , esse antiquissimam , ac tum in Republ. Hebræorum usitatam , ut jam supra dixi , attestatur Hieronymus ad cap. 49. Genes. de Abrahamo. Sed & Rex Judæorum Josaphat , util. libr. 2. Paralip. 21. scribitur , Joram filio primogenito Regnum tradidit , cæteris filiis minutas quasdam civitates , aurumque & argentum reliquit , quo possent honestè vivere. Id quod etiam fecit Cyrus , qui Cambysi primo filio Regnum : Tanazaridi alia quædam minutiora reliquit , ut testatur Xenophon. *Vid. & Lnd. Molina d. jur. Primogen. lib. 1. c. 1.*

§. 2. Vociis vero Apanagii ortum ac nomen , et si multorum scriptorum ingenia in diversas opiniones impulerit , quorum alii aliis adscripserunt ; tamen frequentius id Balduino Flandriæ Comiti tribuunt , qui , occupata Constantinopoli , Imperator ibidem factus , Primoribus suis officiis certas Provincias ac terras Græcicæ in Apanagium adsignarat de quo *Vid. Stephanus Pasquierius lib. 6. hist. Gall. cap. 18. fol. 354.* Et si Paulus Æmilius , rerum Gallicarum scriptor , Apanagium esse inventum Regum Galliæ. dicat. Hæc ratio est , quare Bernhard de Girard *lb. 3. de l'Etat des affaires de France* , pag. 76. putet , verbum Apanagium origine Græcum , compositum ex ἀπαν & ἅγιον , omne & Sanctum. Ab aliis

## 6 DISPUTATIO JURIDICA

Apanagium derivatur à Græco vocabulo *mávrys* & panis vel ab *πάναγιος*, provisionem & alimentum necessarium insinuans.

§. 3. A nonnullis à banno, hinc & Abbannagium scribunt, Germanica voce, quasi *Abbannung* / *abfindung* / *Hindanweisung*. Unde Principes Abbannagiati, abdicati, abgefundenे herru. Besoldus in *Theſ. Pract. lit. A. num. 4. ac ita ſenſit.* Nicolaus Betsius de *pact. famil. Ill. ſtr. fol. 333.* ſcribens Apanagium dictum, quasi Abbannagium. B. *lit. in P.* mutata à banno, quasi quis partem exclusoriam dicat. De quo Franc. Hottomann. *ad leg. Sext. Regni Gallia:* Qui Apanagia dicta putat, quasi exclusoria, ſicuti urbammen, & foßbammen, Germani pro excludere usurpat; Quoniam Regis fratres eā portione accepta tacite ab ipſius Regni hereditate excluduntur; quemadmodum Otto Frisingensis, Aimonius, Regino & Gotefridus ſcribunt, Dagobertum, Lotharii filium Regem conſtitutum, fratri Heriberto Urbes & Pagos aliquot prope flumen Ligerim fruendos dediffe. Plures ac quidem communiter Apanagium derivant à pane. Franc. Ripa lib. 1. resp. c. 1.

§. 4. Apanagium, (quod quidam Appennagium, quidam Empennagium, Chaffan in *confuet. Burg. tit. d. feud.* Nonnulli Panagium. *Heig. p. 1. q. 19. n. 8. Paul. Christin. decif. Belg. V. 5. D. 80. n. 26. Afflīct. in C. 1. n. 8. tit. de filiis natis ex matrim. ad Morgan. Camil. Borel. in summa decif. lib. I. tit. 34. n. 248. Renatus Choppinus lib. I. d. *Juris Andegar. c. 65.*) Nec Latinum, nec Teutonicum, sed Gallicum & barbarum vocabulum eſt, Apennage ou Appennage dictum, quasi *baille à pain*. Unde à pain panage, ſicut de part partage, & ſimilia deductum. Appenner ſiquidem idem significat, ac Germani dicunt, verſorget werden. lib. 2. *Amadis c. 1. Steph. Pajquierius lib. 5 c. 14.* Ex quo Gallico Apennage ortum vocabulum Apanagium, quod Germanis dicitur, *Fürſtlicher unterhalt / fürſtlich deputat.* Latinis assignatio. Italis ac quidem Neapolitanis Vita & militia dicitur. *Camil. Borel. de Compromiff. 2. gl. n. 129. 130. 131. Mirad. Decif. 3. Afflīct. dec. 252. n. 2.**

§. 5. Hæc de nomine Apanagii: Quod in duas species vulgo dispescitur: in Proprium, & improprium. Proprium (de quo unice agere, mihi eſt animus) eſt, quod ſtrictam Apanagii retinet naturam. Improprium verò, quod quadantenus à ſtricta Apanagiorum natura recedit. Illud facit jus Primogeniturae ſtrictum: Hoc fraternæ conventiones & pactio-nes. Ac ſic Apanagia dici poſſunt vel legalia, vel conventionalia. Illa for-mat Lex Primo geniturae. Hæc conventione fraterna, ac pacta familiæ, quæ inter ſe multis modis ratione effectus diſferunt.

§. 6.

§. 6. Realis Apanagii definitio non minus, ac nominalis illa variat. Alii definiunt Apanagium, quod sit terra post genitis, eorumque masculis ad victum eorum à Parentibus assignata, quæ Delphino excepto, filiis Franciæ ad status sui condignam alimoniam conceduntur. *Franç. Ripa in repet. L. in quartam n. 133.* A. ad L. Falcid. definit, quod sit id, quod filii Regum natu minoribus, qui in Regno non succedunt, pro victu & alimentis assignatur. *Paponius in Collectis supr. Concil. Francie lib. 5. tis. 10. art. 11.* Apanagium propriè loquendo, nihil aliud est, quam usus fructus aut Provisio, scribit. *Hottomannus lib. 2. d. jur. Regni Gallæ, de successione leg. 4.* Apanagium delineat, quod sit Regionum quarundam possessio, quibus ad se, suamque familiam pro dignitate atque amplitudine sua, tuendam Princeps fruatur. *Nic. Betsius de Pact. fam. Illustr. pag. 333. ita describit.* Apanagium francicum vocabulum est, sumique pro ea bonorum parte solet, quæ Regis Franciæ liberis natu minoribus solet concedi, postquam natu maximus mortuo patre Regnum adeptus est, ejus autem jus & conditio hæc est, ut Dominium directum Rex in ea parte retineat, & si posteri virilis sexus deficiant, utile Dominium cum directo consolidetur, & ad Regem redeat. *Joh. Tilius lib. 2. d. reb. Gall. fol. 115.* Apanagium describit, quod sit quasi ususfructus tantum, proprietate penes Regem permanente. *Springsfeld. in Tract. d. Apanagio c. 1.* quod sit assignatio almoniæ provisionalis Principibus post genitis facta. Quæ definitio rejicienda non esset, ni tò *Principibus*, in definitione post genitis adjectum, aliquam involveret restrictionem hic non admittendam. Cuique enim notum, Apanagia Origine sua, & successu temporis non modo Principibus postgenitis, sed & aliis fuisse constituta; imo & consuetudine introductum fuisse, ut planè ignobili genere natis Apanagia constituerentur. Adeo, ut Apanagium in genere rectius ita definiri credamus: Apanagium est portio provisionalis ex bonis, in quæ jure primo- genituræ succeditur, reliquis fratribus ad congruam eorum sustentationem constituta. Quæ definitio sub se comprehendit, quascunque Apanagiorum, quibusunque constitutorum species; Postgenitos Regum &que ac Principum; Comitum &que ac Baronum, nobilium non minus atque ignobilium filios.

§. 7. Dixi, quod sit portio provisionalis, quia assignatio fieri solet per modum provisionis, non divisionis, & quod materia alimentorum provisionalis sit. *Vid. Petr. Rebiff. d. sentent. provis. art. 1. gl. 2. n. 29.* Formula Apanagii est provisio. *Guibelm à Montferat. Catholan. de success. Regum dubio.*

*dubio 2. n. 3. Bernhard. Girard. lib. 3. hist. Gall pag. 82. Apanagium enim non est, nec appellatur pars hereditatis, & certa debitæ partis proprietas, sed provisio. Joh. Filius lib. 2. rer. Gall. foll. 115. 116. Cochmann. Vol. 5. respons. 1. n. 168. Hottoman. lib. 1. d. Antiquit. Regni Galliae cap. 9. in verb. non magis, quam res certe legati aut hereditatis titu<sup>r</sup> o relict<sup>a</sup>, hereditatis partes esse intelligantur. l. non. C. de hered. inst. l. quoties 9. §. heredes ff. eod. l. qui fund. 87. §. 3. ff. ad L. Falc. Non enim pars hereditatis propriè in una re intelligitur. l. quamvis 14. ff. si quis omis<sup>s</sup>. caus. testam.*

§. 8. Provisionis verbum esse latissimum Canonistæ docent. gl. & Dd. in Clement. fin. d. Elect. & in cap. Sic compromissarius eod. tit. in 6. & Cardin. in Clem. causam. q. 4. & Clement. in plerisque q. 16. d. Elec<sup>t</sup>. ac continere Electionem, collationem, nominationem, & postulationem, imo omnem modum, quo Ecclesiæ providetur, ut nominatim scribit Cardinalis in Clement. 1. §. fin. d. præbend. per c. cum in illis §. 1. de præbend. in 6. Postea provisio accipitur pro præjudicio, quasi præcedens judicium, sive Examen. Cicero in Orat. prima in Verrem. Unde JCTi s<sup>æ</sup>pius præjudicia pro cognitionibus causarum accipiunt, quas ob legitimas rationes præcedere oportet, si forte cum aliis concurrant. Hinc provisionalis sententia oritur, & dicitur pronunciatio præjudicialis judicis divini cultus, vel alimentorum ratione, aut alia necessaria & justa causa facta, cum alimentorum materia sit provisionalis. Petr. Rebuff. de sentent. provis. art. 1. gloss. 2. n. 29. Hic providere accipimus, proprospicere. Cicero: satis jam omnibus provisum putabant.

§. 9. Dixi, ex bonis, in qua jure primogenitura succeditur: ex propriis enim bonis, & quæ capit jure communi ex hereditatibus privatis, non tenetur Apanagium constituere; sed tantum ex Domanio, ut ajunt, Regni. Ratio hujus est evidens, scil quod Apanagia alimentorum loco sint, ad quæ frater fratri suo nec de jure naturali, nec civili positivo Communitetur. Quicquid alii in contrarium dicant ex l. 73. §. d. jure dot. l. 20. sol. matr. l. 12. §. 3. d. admin. tut. Nec enim in specie hoc hic LL. ponitur; adeo ut pro firmissima regula teneamus, fratrem fratri ad ea obligatum non esse; nedum verò ad constituendum fratribus ex bonis propriis Apanagia, quæ modum quoque alimentorum simplicium excedere solent.

§. 10. An Vasalli teneantur ad Apanagium postgenitis Regis constituendum? Resp. quod non. Non enim Dominum ipsum, multò minus fratres ejus alere obstricti sunt; uti rectè observavit Sonsbec. d. feud. part. II. n. 46. Wijsemb. c. 9. n. 17. de ferd. Eman. Soare in Thes. recept. sentent. tit.

# INAUGURALIS.

F. n. 75. *Harim. tit. d. Feud. obs. 33. n. 4.* Sic nec status provincialis, die Landschaft Apanagium constituere postgenitis obligati sunt. Principes enim ex Domanio onera publica praestare debent, neque eo nomine gravare subditos poterunt, prout sentiunt non tantum legistæ in suis commentariis & lecturis, itemque in consiliis & responsis, sed & Canonistæ & Feudistæ, quos longa serie citat *Ernestus Cothman. lib. 4. conf. 3. n. 246.* Cum ii nedum ad augendum Apanagium teneantur.

§. II. Bona vero Domanilia, German. *Caminer guter vid. tr. Spingsfeld. de Vot. major. part. 3. c. 2. n. 43.* à Domanio vocabulo barbaro, quod etiam Demanium, plerumque autem Domanium scribitur. Domanium autem à Dominio derivatur, quod nempe bona Domanilia semper per antiquos Reges vel Principes sub eorum Dominio retenta fuerint, & nunquam aliis concedi consueverint. *Philipp. Paschal. d. patr. pon. part. 1. cap. 1. 85.* Erant namque ab initio in qualibet ferè Republica publica bona usibus publicis destinata, eorumque proventibus contenti principes vivebant, nec subsidiis subditos gravabant. Latine Domanium non incommodè patrimonium Regni dici potest, quia magis Regni & Coronæ propria sunt, quam Regis. Est enim Domanium Regium quasi Dos Regni, Regi à suis populis constituta ad onera Reipubl. sustinenda: sicuti vulgo dicimus, dotem dari marito, ad onera matrimonii sustinenda. *L. dotem 16. ff. d. castr. pec. l. actione 65. §. ult. pro soc.* Qua de causa Dd. jus Regis in illas res par idemque esse arbitrantur, quod est viri in res dotales. *Luc. de Penna in l. quic. d. om. agr. desert. Paris de Put. de Syndic. sub rubric. d. Excess. Imp. Andr. Isern. in Feud. qua sint Regalia.* Itaque sicuti dos constante matrimonio censetur in bonis esse mariti, cum tamen re ipsa, hoc est naturali jure sit uxoris. *l. quamvis 75. ff. d. jur. dot. l. in reb. 30. C. cod. l. Lucius 21. §. items respondit. ff. ad municip.* Eodem modo, quamdiu rex vivit, Domanium Coronæ videtur esse in ipsius Dominio, cum tamen revera proprietas ejus intelligatur esse populi, qui, ut *Dd. loqui solent*, illius Domanii redditum Regibus suis concedit tanquam honorarium, & stipendium ad justitiam administrandam. *secund. Thomam 2. q. 62. Andr. in cap. 1. d. pac. ten. & in cap. 1. verb. vettigalia que sint Regalia. Math. d. Afflict. Decis. Neap. 265. n. 81. Job. Tilles. lib. 2. d. reb. Gallia.* Quomodo Domanilia à rebus Patrimonialibus, Fiscalibus, Publicis, & privatis distinguuntur, hujus loci non est.

§. 12. Dixi: *reliquis fratribus*, de quibus plura cap. 3. ad congruam. Congrua quæ sit, res dubia & facti est; qua in re distinguen-

B dum,

## 10 DISPUTATIO JURIDICA

dum, an assignata sit portio, an non: si certa, cessat dubium. Certa attem fit (1.) ex lege Pragmatica Regni. *Isern. in Constit. Neap. Comitibus in prima lectura col. 2.* (2) sunt, qui ex analogia juris, secundum legitimæ quantitatem, quam quis ab intestato habiturus est, eam certam fieri dicunt; Verum cum ab intestato nihil penitus ipsis debeatur, non puto analogiam juris ratione legitimæ, locum habere posse. Sed & certa apaganii quantitas redditur ex testamento paterno; Prout in Regno Suecæ postgenitis etiam terram in Apanagium assignatam dispositione ultima testatoris Parentis, docet *Auctor de Script. Regni Suecie lib. I.* Sic testamento Paterno Albrechti Electoris Brandenburgici de anno 1473 postgenitis Apanagiatis mille aurei Rhenani in annum Apanagium constituti. Quam summam Testamento suo Marchio Brandenb. de anno 1507. duplicavit in verb. und ihr einem / einer jeden jahrs / zwey tausend gulden / rheinisch jährlich geben sollen / so lange / bis sie mit Wisthumern versehen werden. Sic & Pactum & statutum, quod regit Apanagia, tam proprii quam impropii quantitatem certam reddit.

§. 13. Sed cui igitur hujus provisionis determinatio competit, si nullo modo de ea constet? Hoc casu, *juxta Hottomann. lib. I. d. antiquit. Regni Gall. c. 9.* incerta quantitas apaganii arbitrio primogeniti subjecta erit. Qui tamen in id incumbet, ut præprimis Apanagiorum finis quam maximè conservetur; scil. splendoris ac dignitatis familiæ conseravtio. *Menoch. conf. 1032. n. 27.* & *conf. 71. n. 30.* *Modest. pistor. part. 3. quest. 122. n. 35.*

§. 14. Dixi denique, *ad eorum sustentationem constitui.* Unde Apanagia regulariter in pecunia seu redditibus annuis solent constitui. *Guidoappa decis. 476. n. 1.* & *Decis. 487. n. 2.* *Boer. Decis. 204. n. 14.* *Tiraqu. de Primogen. qu. 5. n. 2.* *Lud. Molina de Hispan. Primogen. lib. I. c. II. n. 29.* Non tamen in pecunia tantum, prout multierroneè voluerunt. *Guidoappa decis. 476. n. 1.* & *d. cis. 487. n. 2.* *Boer. Decis. 204. n. 14.* *Capic. dec. 2. n. 6.* *Thomingius dec. 2. n. 33.* *Rensner. dec. 5. n. 26. 27. 42. libr. I.* *Capic. dec. 2. n. 6.* *Busar. conf. 2. n. 69. vol. 1.* *Ascan. Clement. de Pat. pot. effectu 16. n. 53.* Sed & in Provinciis & Feudis, *Ragner de Forlivio in l. s. viva matre C. d. bon. matern.* *Laudens in tr. de Principe §. 462. incip. licet Regnum.* *Tiraq. de Primogen. quest. 4. n. 48.* *Lud. Molina de Hisp. Primog. lib. I. cap. II. n. 28.* Prout in Illustrissima domo Hassiaca, nec non inter Comites Frisiæ Embdanos practicatum.

§. 15. Sed notandum, quod Apanagia insimul pecunia ac feudis constitui

stitui possint, prout in Apanagio Joh. Comitis Embdanensis per Decretum Cæsareum anno 1589. latum constituto, practicatum. Moderata tamen Apanagia, non excessiva esse debent, in Regni ac Principatus utilitatem. *Vid. Thuan. ad lib. 52. ad fin.*; ita ut excessiva Apanagia defalcare ac imminuere primogenito licitum sit. *Teste Besoldo lib. 1. Diff. Nomicopol. Diff. 5. n. 15.* quod tamen alii extra casum delicti vix afferendum putant. *Vid. Martin Chromer in Chron. Colon. lib. 5. in Bolesao III.* Non tamen post geniti in assignanda quantitate Apanagii provocare possunt ad quantitatem legitimæ, sed alimentis contenti esse debent; legitima enim ipsis non debetur, ubi viget jus Primogenituræ. *Br. Cons. 72. n. 3. vol. 1. Francisc. Zabarella Cons. 64. n. 3. vers. item ex quo. Abb. Panorm. in c. licet. n. 9. d. voto Folin. in c. prudentiam n. 7. d. off. deleg. Francisc. Purpur. cons. 326. n. 14. Ludolph. Schrad. d. feud. part. 8. c. 2. n. 45. Francisc. Sonsbec. d. Feud. part. 1. & in §. cap. 9. concl. 55. num. 11.* Alimenta enim eo casu subintrant locum legitimæ. *Menoch. cons. 627. n. 12.* sed quæ nam provinciæ postgenitis adsignandæ? An portus? an limitanea munimenta, quæ instar clavium Regni sunt? prudentiæ Apanagia constituentium relinquitur.

## CAPUT SECUNDUM.

### *De Successione in genere.*

§. 1. Successio in genere nihil aliud est, quam Surrogatio in locum alterius, mediante qua surrogatus codem utitur jure, quod alter habuit, atque reliquit. Estque ea (1) vel Testamentaria, vel ab intestato; quæ quid sint, cuique notum ex jure Civ. (2) vel Civilis, vel Feudalis. Illa est jus transferens hereditatem ad heredes ex dispositione vel legis, vel Testatoris. Hæc est jus transferens feudum ad successores ex dispositione primorum acquirentium, vel ex consuetudine feudali. Defertur defuncto, vel alias deficiente Vasallo in alium, per successionem ab intestato, modo succedendi feudali, secundum quem primo acquirenti succedunt ex ejus sanguine legitimate descendentes, si habiles ad servitia Domino sint exhibenda.

• §. 2. In utraque tam Civili, quam feudali, pro norma quasi ac regu-

la tenendum, quod nemo plus juris habere possit, quam defunctus ipsi reliquit l. 120. ff. d. Reg. Jur. Quod proinde & in Apanagiorum successione pro regula observandum, ad quam pertractandam, cognita apanagiorum natura, pronior jam via est.

## CAPUT TERTIUM.

### *De successione Apanagiorum in genere.*

§. 1. Ut successio in Apanagia jure fieri possit, requiritur (1) ut apanagium rite constitutum sit. (2) ut in id succedi possit. (3) ut persona succedens sit habilis. De singulis agendum specialius. Primum, scil. constitutionem apanagii legitimam, quod attinet, certae rationis est, non posse succedi in Apanagium, nisi legitimè constitutum; quod enim non est, in id succedi nequit, & successio significat jus defuncto jam constitutum, in quod succeditur. arg. l. 62. ff. d. Reg. Jur.

§. 2. Hac igitur in re distinguendum, an legibus fundamentalibus Regni, seu pactis familiae cautum sit, ac prospectum de Apanagio, an non? Prius plerumque in Regnis ac Principatibus successivis factum videmus, ex quorum itaque norma Apanagia percipiuntur. Et maximè, publiceque interest, strictissime iis inhærere, accurateque ea servari; tum quia iis relictis maximæ excitantur de eorum quantitate definienda lites; tum quia pacta ejusmodi publica, leges saepius neglectæ atque mutatae vilescent. Adeo ut talis mutatio non magis facto, quam exemplo principati sit perniciossima; cuius vis omnis; cum in redditibus, qui ei defendendo, ornandoque, & felicitati ejus conservandæ sufficiunt, consistat, solvitur, atque infringitur, uti divisione, ita Apanagiorum mole, quæ parum à divisione abest. Hoc cum & ratione ipsa certum sit, & publica experientia nimium constet, causa est, cur in maximis Imperii Principatibus, & Illustrissimis familiis non tantum validè restricta sint Apanagia, sed & ipsi fratres & agnati in eas angustias atque restrictiones amore publici, familiae, Principatus, splendoris, quo cujusque privata dignitas sustinetur atque comprehenditur, lubentissime consenserint, & utilitatem privatam post decus familiae avitique Principatus publicum habuerint.

§. 3. Quod si verò nulla Apanagia constituta sint legibus Principatus, aut

aut pactis gentiliis, officium est primogeniti, pro modo dignitatis ac viribus Principatus constituere non ex suis bonis, sed ex Domanio Regni; ut supra dictum. Quanquam & testamento paterno Apanagia aliquando constitui soleant, ut, si testator aliquem heredem instituat, sub hac conditione, ut res hereditariae, vel aliquae, vel omnes ad primogenitum continua serie devolvantur, atque post genitis ex iis Apanagia constituantur. *Betsius de pact. fam. Illustr. pag. 329.* Quod utique indubium est, si alias certum Apanagium constitutum nondum est; at eo semel rite per leges Regni, vel pacto constituto, mutari id, ejusve quantitas non aliter testamento potest, quam si ex bonis testatoris propriis fiat. Domanum enim, ejusque bona ac jura contra leges fundamentales seu pacta familiae minui testamento nequeunt, cum non sint ex hereditate defuncti. *arg. l. 3. ff. d. int. & rel.*

§. 4. Denique quibus modis jus Primogeniturae introducitur, iisdem quoque Apanagia constituuntur: Quoniam haec semper illius juris sequela sunt.

§. 5. Alterum requisitum erat, ut tale Apanagium constitutum sit, in quod succedere possit. Ubi in primis investigandum, an in Regnis Electivis locum habeat constitutio Apanagiorum? Dicendum videtur, ex ratione juris, in Regnis ac Principatibus Electivis postgenitis Apanagia non deberi, cum nihil juris in ejusmodi Regnis, quae uni personae tantum deferuntur, competit fratribus, neque ex eorum regnorum successione, quae nulla est; Verum moribus ac consuetudine in Regno Bohemiæ, Poloniæ, & Hungariæ introductum, ut fratribus Regis Apanagia constituuntur. *Betsius de pact. Illustr. fam.* Sic olim Siradiam urbem cum districtu pro Ducatu amplissimo computatam secundo genitis Regum Poloniæ attributam fuisse scribit. *Anton. Magin. Cosmograph. part. 2. fol. 151.* Sbigneo item fratri, etiamsi notho Boleslaus III. Rex Poloniae dictus Criobustus in Apanagium concessit Mayosiam atque cujaviam, & Calissiensem tractum. *Martinus Chromer. in Chronico Polonic. lib. 6. Boleslao.*

§. 6. Quoniam autem moribus ac consuetudinibus Apanagia fratribus Regis, in Regnis Electivis constituta adscribuntur, ex iisdem desumendum erit, à quoniam ea constitutio fiat. Alias idem hic, ac in successivis obtinere videtur, scilicet vel ex LL. fundamentalibus hoc apparere, vel Rex ipse fratribus suis certos redditus ex Domanio adjudicabit.

§. 7. Adhuc queri hic potest: Num in Imperio Rom. Imperatorum

fratribus ex Domanio Imperii Apanagium sit constituendum? ad quod respondeatur, cum moribus Imperii nostri id inductum non reperiatur, & cum Apanagii constitutio tacitam quandam successorii juris inductionem prae se ferre videatur, eam vix admittendam esse; maxime cum etiam publici reditus Imperii Romani ita sint deminuti, ut Imperator, qui ex iis olim vel amplissimum alere exercitum potuit, hodie ne quidem vitam inde ducere possit. *Mich. Coccin. de bell. Maximil. f. Imperatoris cum Venetis gesto. libr. un. Aug. Parricus de Friderici III. Imperatoris Comitis Ratisbon.* 1471. *uterque apud Freherum German. Scriptor. tom. 2. fol 145. & 288. & 289. Granvellanus apud Sleidanum. lib. 17. Eberhard à Weche de Regni subsid. cap. 5. n. 42.*

§. 8. Potest & hæc quæstio hic tractari, an in Regnis in primis Electivis, ubi mori ac consuetudini Apanagia adscribuntur, ea, si Domanium Regis id non serat, fratribus Regis possint denegari? Responderetur ad hoc, Apanagiorum jus fratribus nihilominus salvum manet, licet redditus ipsos actu tunc temporis non percipient, prout & Rex ipse Domini redditus non percipit.

§. 9. Tertium, quod requisivimus, fuit, ut persona sit successionis capax. Videndum ergo jam, quinam in Apanagio succedere possint? quemadmodum jure Civili successio ab intestato, in primis descendantibus, vel ascendantibus, vel collateralibus competit: ita & hic videbimus, an ordinem hunc & que observare possimus, & quidem tam in Successivis, quam electivis Regnis, ut & in bonis merè allodialibus juri Primogeniturae non subjectis. Quantum ad Regna attinet successiva, nullum superest dubium, quin Apanagia à Rege fratribus suis constituta, sint ad omnes eorum descendentes extendenda. Militat enim in iis eadem dispositionis ratio, quæ in eorum obtinebat parentibus, scil. splendor, atque nominis, familiæque conservatio; eum enim in finem Apanagia constituta, quo splendidius familiæ propagari, propagataque conservari possint; à quo tamen fine longius abiretur, nisi descendantibus Apanagiatorum jus successionis concederemus; eo magis, quo major atque auctior eorum est numerus, indigens ope & auxilio tam liberali ex Apanagiis ad eos redundante. Verum si definitionem Paponii supra allegatam considero, dicendum videtur, descendantes nullo modo ad Apanagiorum successionem esse admittendos; ille enim vult, Apanagium proprio loquendo nihil aliud esse, quam usumfructum; atqui cuiilibet notum, usumfructum esse jus quoddam personale, atque cum interitu personæ simul interire. *L. 3.*

*l. 3. §. f. h. l. p. pr. & §. 1. C. d. usfr. §. 3. f. eod. l. 12. C. d. usfr. l. 8. §. f.  
d. peric. & comm. rei vend. adeo, ut heredibus simul constitutus, primis  
tantum deferatur, l. 14. C. de usfr. Accedit, quod respectu primogeniti  
Apanagiorum constitutio sit odiosa & damnosa, diminuens ejus redditus.  
Sed supra rejecimus Paponii, aliorumque definitiones; Secundo dici-  
mus, jam usu non tantum receptum, sed & naturam atque essentiam  
Apanagii ita constitutam, ut omnino descendentes omnes in infinitum,  
cujuscunque sint numeri succedant. Denique respondeatur ad illud, quod  
odiosa restringenda non extendenda sint, nullam hic esse extensionem, ubi  
ex constituentium voluntate, & dispositionis ratione quid sit.*

*§. 10. Subjectum itaque successionis in Apanagijs, sunt fratum mi-  
norum descendentes; quia tantum natu minoribus introducto jure pri-  
mogenituræ constitutur; qui quam varii olim dicti fuerint, apud varios  
exhibitetur Authores; & quidem vox Juncker solum proprium fuit Du-  
cum, Principum ac Comitum filiis postgenitis. De quo Joh. Stumph.  
in der Schweitzerischen Chronica cap. 19. Besold. d. Ord. Equestri n. 3.  
Joach. Vadianus lib. 1. d. antiqu. Monast. German. Goldast. Alaman. rer. tom.  
1. fol. 392. Joh. Lydius in Gloss. Latino barb. Webnerus in obseru. pract. verb.  
Junckherru Norderman in disput. de jure Principatus conclus. 88. lit. C.  
Reineccius in tract. von den Adels ansanglichem herkomenen fol. 144. ex  
Epitaphio quodam vetusto hæc verba refert: Der Edle wolgebohne  
Junckherr / Junckherr Berndhard / Edler Herr zider Lippe. Sic statu  
Comitum ab Hanau cautum, ut Protogenus solido jure ditionem sibi  
vendicaret, Dominusque, Herr insigniretur. Fratres autem Juniores,  
Junckherrn nominarentur. Knichen in Encyclopaed. cap. 1. fol. 9. & seqq.  
Sic in diplomatis Ducum Brunswicensium 1374 legitur. We Junckherrn/  
Frederik / Bernd / Henrick / und Otto / bröder von der guade Gottes/  
Hertogen tho Brunswig / und tho Luneberg / & iterum de anno 1400.  
We Junckherr Bernd / und Ehr Hinrick von der guade Gottes / Herto-  
gen tho Brunswig / und tho Luneberg. Quæ instrumenta extant in actis  
Homagialibus der Stad Brunschwig. Tom. 1. Imo Regum quoque  
filii postgeniti juniores Junckherrn dicti ac nominati. Sic in diplomate  
Ludov. VI. Regis Gallia anno 1530 legitur: Astantibus in palatio nostro,  
quorum nomina subscripta sunt & signa. Signum Philippi junioris Regis  
S. Ludovici Philippi &c. apud Martin. Marrier in Biblioth. Cluniacenf.  
fol. 1392. Unde fors est, ut intelligas illud, quod in Latinis Regum An-  
ghæ diplomatis legi observavit, Camdenus in Britannia fol. 118. nempe:*

Ego

*Ego Eadgarus Clyto Regis filius, quasi iudicas klein: h. e. junior. Goldast.  
d. major. lib. 2. c. 6. n. 14. Sic Britannus Aremonus in lib. Consuet. Bri-  
tanniae Juigneur dici juniorem fratrem, annotavit Hottomannus de verb.  
feud. verb. senior, Cyriacus Spangenb. in Chron. Henneberg cap. 5. lib. 5. se  
vidisse antiqua instrumenta scribit, in quibus Otto filius Regis Danie sub-  
scripsit; Juncker Otto von Deniemarct. Sic Canonici olim Gottes  
Junckherrn vocati. Postea vero nomen Junckherrn nobiles sibi unice  
attribuerunt, eorundemque proprium factum est. Neque vero frequens  
est, ut Nobilibus, nedum plebejis Apanagium constituatur. De quo vide  
pulchre differentem Boccalin. cent. 2. de Raggiali di Parnasso Raggialio 4.  
Rubr. il Principe, di Elicona per un suo Ambasciatore mandato in Parnasso ad  
Apollo, chiede il privilegio di poter tra la Nobiltà del suo Stato istituire la pri-  
mogenitura, il quale da sua Maesta gli vien negato.*

§. 11. Nisi (1.) à primo concedente ita investitura facta fuerit, ut no-  
bili majori natu semper feudum cedat. (2.) Nisi postgeniti Nobiles sint  
fatui, blode, quo casu Apanagi contenti esse debent; quod tamen fallit, si  
expresso patris testamento ipsis etiam quota hereditatis adsignetur. (3.)  
Nisi consuetudine cautum, ut Primogenitus, inter nobiles tantum suc-  
cedat, coeterique Apanagio fruantur; Prout in Normannia, Anglia &  
Britannia, ac in illa Aquitaniae parte, quæ hodie Guienna vel Gasconia  
appellatur, ubi etiam inter privatos jus primogenituræ introductum, *de  
qua consuet. ad scribit Nic. Betsius de pact. famil. Illustr.* Et quod inferioris  
conditionis & alterius jurisdictionis subditos attinet, sane si inter illos an-  
tiqua & inveterata gentis consuetudine, jus primogenituræ introductum,  
nulla ratione impugnari, præcipue in feudis, poterit. Quia consuetu-  
dines inveteratae, & quæ cum ipsis gentibus originem habuere, si nemini  
jus suum quæsitum auferant, tolerandæ sunt.

§. 12. Sed queritur, an æque fœminæ ac masculi, seu filiæ, ac filii  
succedant? Dicendum videtur, quod sic, quoniam (1.) filia pariter at-  
que filii sub descendantibus comprehenduntur. (2.) Quoniam masculi  
includit genus fœmininum. *I. 1. d. V. S.* (3.) Quia filiæ simul cum  
filiis de jure Civili succedunt suis parentibus. Et denique quia legitima,  
multoque magis alimenta æque filiabus ac filiis debentur. Verum non ob-  
stantibus his, aliisque, quæ in contrarium fortè adduci possent, ratio-  
nibus, dicendum, filias regulariter ad Apanagiorum successionem non  
esse admittendas; quoniam in eis cessat ratio dispositionis, ergo & ipsa  
dispositio; per fœminas enim familiæ nec propagantur, nec conservan-  
tur;

tur; & quod Apanagium proprie constituatur iis, qui spem succedendi habent, ut interim in eam spem eventusque expectationem pro dignitate vivere, dignitatemque suam tueri possint; filiae autem nec jus, nec spem succedendi in regnis habent de jure naturæ; utpote quæ non ad regendum, & tuendum alios, conditæ, sed à masculino sexu tanquam potiore defendendæ sunt; & denique quia, si feminæ succederent, paulatim Patri-monium Coronæ & Domanium Regis cito enervaretur. *Paul. Christin. dec. Belg. vol. 5. Dec. 80. n. 29.*

§. 13. Hinc ne deinceps ambigeretur, caveri solet publicis pensionum tabulis, quæ fratribus Regum assignari solent, ut iis sine mascula prole diem suum obeuntibus prædia libera fisco vindicentur. Evidem verum est, quod filiabus quoque aliquando in alimenta dari aliquid, & constitui soleat, sed id Apanagium non est, neque jure Apanagii valet, sed jure dotis, vietalitii &c. Unde ea satis accurate distinguuntur *in Pace Westphalica Osnabrugensi, art. 4. §. Præterea, & §. Cum autem*, ubi quod Cæsar Regis Boëmiae filiis minoribus in alimenta promisit, Apanagium; quod filiabus ac viduæ, dos ac vietalitium dicitur.

§. 14. Notandum tamen, Apanagia etiam consensu & consilio Procerum, sive Ordinum Regni, à Regibus, etiam maribus ex filiabus minorum fratum descendantibus relicta fuisse, aut in dotem vel donationem propter nuptias data; cum ita rationibus regni expedire videretur. Quia lex seu Constitutio, cum facta sit ad emolumenatum Regni, dum finis eius observatur, ipsa omnino lex observatur, nec ea violata censeri debet. Hoc tamen casu filiae non tam jure hereditario succedunt, quam ex nova constituentium voluntate veniunt.

§. 15. Sed quæstio est. Si Apanagiatus Apanagium acceperit, sur sich / und alle seine ehliche Leibes Erben / seu pro se, & omnibus suis legitimiis descendantibus, anne tunc saltē videantur comprehensæ filiae? Respondeo, filias vi copula, ET, hic non venire, cùm enim hæc copula ne quidem in feudis id operetur, multo minus in Apanagiis. Et in dispositionibus, quæ fiunt in favorem familiæ, vox heredum in dubio solos masculos comprehendit, qui familiam propagant. *arg. 1. f. 14. vers. et si clientulus. Præterea potior semper est interpretatio, qua redditur ad jus commune, & naturam Apanagiorum, ut multis explanavit. Rosenth. d. f. 7. concl. 42. n. 47. & seqq.*

§. 16. An voce filiorum etiam legitimati hic contineantur? Affirmant id plurimi, si alii liberi non adsint, & quidem simpliciter, sive per Re-

scriptum Principis , sive per subsequens matrimonium ; quia in dubio Princeps legitimans , omne id concessisse videtur , quod alias habent legitimi . arg . l . 172 . d . R . Jur . Wesemb . d . feud . c . 1 . & 12 . Vultei d . loc . beneficium 3 . ubi Bart . & Dd . ff . d . const . Princ . C . cum dilecti 6 . ubi Canonist . d . donat . Mat . Wesemb . in Epist . feud . cap . 1 . n . 9 . Cæterum ea , quoad legitimatos per Rescriptum Principis vix subsistere poterit ; per 2 . f . 26 . § . naturales , in primis si filii adsunt alii legitimi , quia legitimatio per Rescriptum Principis facta , neque filiis legitimis , neque primogenito , ad quam reversurum est Apanagium , *jus quæstum auferet* ; nec ista legitimatio ultra personam , ad successionem Apanagii simul extendenda . Sed de legitimatis per subsequens matrimonium aliud dicendum ; hi enim simul cum legitimè natis succedunt : adeo quidem , ut existentibus liberis ex concubina , & liberis postea ex justis nuptiis natis , si postea matrimonium cum concubina , priore uxore mortua , contrahatur , filii hujus matrimonii neque ac prioris in Apanagio succedant . arg . 2 . f . 26 . § . naturales , voce postea C . 16 . x . qui sint legitimi . Nov . 82 . c . 8 . ff .

§ . 17 . Naturales verò non succedunt , ut nec adoptivi . d . 1 . 26 . § . adoptivus , nec filii ex conjugio Morganatico nati . 2 . f . 29 .

§ . 18 . Sed an natus ex sponsa ante benedictionem sacerdotalem in Apanagio succedat . Respondeo , quod sic , quia benedictio sacerdotalis non est de substantia matrimonii , sed ritus Ecclesiasticus , qui ei contracto superadditur . Struv . ad jus feud . c . 9 . ib . 3 . n . 13 .

§ . 19 . Etsi autem minores fratres Apanagii subjectum esse dictum est , non tamen abs re erit , querere . An aliquando ipsi filii primogeniti succedant in Apanagio , vel iis id constituendum sit ? Primogeniti nomine hic nobis non tantum venit ille , qui primò natus est , sed & quem nemo præcedit . Menoch . conf . 886 . n . 1 . vel qui mortuo primogenito reperitur major . Menoch . conf . 10 . 23 . n . 13 . Et pro regula notandum , Primogenitum Apanagii subjectum regulariter non existere . Hinc Primogenitus Regni Galliæ dicitur Rex designatus , declaratus , speratus , destinatus . Hottom . d . jure Regni Galliæ lib . 2 . d . success . lex prima , in verb . ut filius Regis natu maximus , vel hoc præ mortuo , nepos ex eo suscepimus , vivo Rege pro designato Rege habeatur , solusque in Regno & Dominio Regio succedit , Delphiniusque dicitur .

§ . 20 . Verum ex accidenti contingere potest , ut primogenitus fiat subjectum Apanagii , scil . (1) si est à natura fatuus , mente captus , mutus ac surdus . Christ . vol . 1 . Decis . Belgic . dec . 157 . n . 2 . Laudens d . primo-

primogen. qu. 40. *Tiraq. de primogen.* qu. 23. *Althus. polit. cap. 9.*  
*concl. 55. in not. tit. K. ad fin.* secus verò, si ita efficiatur ex post fa-  
 sto, postquam Principatus, vel Regnum in persona sua radicatum fuit.  
*Christin. dec. 151. n. 6.* quia tunc ei Curator adjungitur. *Laud. d. qu 40.*  
 (2.) Primogenitum putant fieri subjectum apanagii, quando parens pri-  
 mogenito per Testamentum auferat jus primogeniturae, ac secundo genito  
 illud tribuit. *de qua quast. vid. Jofon. cons. 113. p. 1. & cons. 163. p. 2. Gu-*  
*adelin. d. jure fidei. c. 4. n. 8. & Job. le Cirier tr. d. jure primogen.* lib. 3. qu. 3.  
 Prout factum ab Electore Brandenburgico Friderico anno 1436. ubi Pri-  
 mogenito Johanni Jus Primogeniturae ablatum, & Friderico postgenito  
 concessum. Sed notandum, hoc casu, non valere exclusionem ex paterna  
 dispositione, sed ex ultronea primogeniti voluntate, si illa acceperit.  
 Quod & ponderavit *Buxtorf. ad A.B. thes. 851. tit. 6. Pencer. tib. 5. Chron.*  
*in sigism. circa fin. Naucler. gener. 48. fol. 1064.* *Jus* siquidem primogeni-  
 turae, Primogenito à lege delatum, Pater nullo modo, citra primogeniti  
 manifestum consensum auferre potest. *Molin. d. Hispan. Primogen.* lib. I.  
*cap. 9. n. 2. Alex. Randens. d. Analog.* lib. I. c. 25. n. 165. Non enim po-  
 test facere, quin leges in suo testamento locum habeant. *Job. de Cirier.* lib.  
 3. qu. 3. *de jure primog. n. 5.* Ne quidem ex causa ingratitudinis, cum Pri-  
 mogenito non voluntate Patris, sed legibus Regni deferatur successio. Sic  
 in Regno Gallie, primogenito a patre per testamentum successio Regni  
 adimi nequit, Regno enim succedit Primogenitus, non judicio Regis,  
 sed legis beneficio: *Hortmann. lib. 2. d. jure Regni Gallie* leg. 1. Quod ta-  
 men fallit in iis, qui sua virtute, & armis primum regna occuparunt; illi  
 enim tanquam omnibus eorum legibus soluti hac lege constringi se crebro  
 passi non sunt, sed natu minores filios, majoribus natu prætulerunt, in-  
 felici tamen sèpius successu. *Springsfeld. p. 65. c. 3.* (3.) Primogenitus fit  
 apanagii subjectum, quando in Regnis Electivis ordines, secundo geni-  
 tum eligunt; quod in ipsorum lubitu est, eligere vel primo vel secundo-  
 genitum. (4.) Primogenitus subjectum apanagii existit, si est bastardus,  
 vel naturalis, cum arceatur à Regni Successione. *Petr. Gregor.* lib. 7. d. Rep.  
 8. *Lipf. monit. pol. 2. c. 4. Monit. I. Arnis. pol. c. 9. fol. 238. & Relict. 2. c. 2.*  
*sect. 13. Schonborn. 2. pol. 10.* cuius tamen portio propriè apanagium non  
 est, ut supra dictum. (5.) Primogenitus Apanagii subjectum redditur, si  
 vendiderit jus primogeniturae secundo genito, quæ venditio licita est ac  
 subsistit. *Job. le Cirier. qu. 7. lib. 3. d. jur. primog. pag. mibi. 158. coll. n. 12.*  
*vol. tratt. I.* (6.) Primogenitus itidem Apanagio subjicitur, si Primo-  
 geniturae

genituræ jus cesserit, vel ei renunciavit, cum enim hoc posse, in propalculo est. *Besold. dissert. Nomicop. diff. 2. n. pen. ex. diss. 4. n. fin.* Et quidem non tantum expresse, sed & tacite. *Tiraquell. d. jur. Primog. qu. & seqq.* si enim Primogenitus nolit, vel non possit succedere, secundo genitus continuo jure Primogenituræ potitur, ac si Primogenitus non esset in rerum natura. *Tirazu. d. jure Primog. qu. 26. n. 3. Mascard. d. probat. vol. 3. concl. 1263. n. 25. 26. Paul. Christin. vol. 1. Belg. dec. 366. n. 17. 18. 19. 20.*

§. 21. Quid autem dicendum, si pater jus Primogenituræ, vel successoris, fratri suo secundo genito resignavit? anne hoc casu, juri representationis, aut filio conquerenti superstít locus? Varios hac de re invenimus opiniones. *Negat. Goldast. in Exoter. disc. n. 22. ac lib. 3. de major. c. 16.* ex eo principio, quod filius à patre accipere nequeat id, quod pater amplius non habet. *Contra affirmsat Bessim. de paet. fam. illustr. cap. 8. fol. 407.* cum nullus possit renunciare statuto, seu consuetudini in tertii, sive filii, sive extranei præjudicium. Distinguit *Besoldus in dissertat. Nomicop. lib. 1. diss. 10. n. 4.* inter filios tempore renunciationis existentes, & post natos, & primogenitum, si sponte renunciet suo juri, haud videri liberis suis præjudicare, nisi post natis; ac ita tradunt *Molina de Major. tract. 2. disp. 624 n. 7. & Arniss. remissive in relect. polit. l. 2. c. 2. sect. 8. n. 65. fol. 297.* Sane rationem juris sequenti facile Besimi sententia arridebit, quoniam nulla differentia hic in post natis, & jam natis esse potest, tempore factæ renunciationis. Nec enim hoc jus habent ex provisione patris, sed legis & consuetudinis Regni, ac Principatus, cui Pater absque expresso filiorum consensu legitime adhibito, derogare renunciando nequit ac ita quoque sentire videtur *Peregrin Conf. 1. tom. 3. n. 32.* (7.) Primogenitus apanagio subjici potest, commisso delicto, vel ejus felonio, qua feudum perdit. *vid. Rosenth. d. feud. cap. 11. concl. 6. n. 16.* (8.) Si primo genitus Clericus sit *A. B. c. 1v. c. 7. c. 1. tit. 30. lib. 2. feud. Dn. Helfr. Hunnius tract. feud. cap. 10. fol. 12. 52.* Sic porrò liberis Administratorum Episcop. vel Archi-Episcopatum Evangelicæ Religionis, qui in Electoratibus ac aliis feudis Regalibus succedere possunt, apanagia debentur. *Arume. ad A. B. C. 1v. disc. 4. th. 8. Besold. lib. 1. diff. nomicop. diff. 10. n. 5.*

§. 22. An transversalibus apanagium sit constituendum? v. gr. moritur avus superstítibus nepote ex primogenito, & nepote ex secundo genito, qui nepos ex hoc secundo genito petit Apanagium, An jure? Negant hoc multi. Sed affirmantibus subscribo. De quo plura infra.

§. 23. An jus accrescendi in Apanagio locum habeat? id est, si duobus fratribus

fratribus apanagia sunt constituta, uno mortuo, alter in hujus Apanagio succedit ex jure accrescendi? Respondeo negando; habet enim jus accrescendi locum in ultimis voluntatibus de jure Civili, non vero in conventionibus per contractum constitutis, in quibus juxta communissimam Dd. sententiam, & juxta plurimos textus certum, jus accrescendi locum non habere. Et ponamus casum, duobus vel tribus fratribus existentibus Apanagia constituta, alterius absque heredibus masculis mortui, vel ad Regiam successionem vocati Apanagium fratribus non accrescat, sed Domanio consolidabitur. *Guilhelmus à monferrat Cathalanus de success. Regum, dubio 2. n. 1.* Tum per Theoricam, quæ habet: Quod inter eos, qui admittuntur de jure speciali non habeat locum jus accrescendi contra voluntatem disponentis *I. mulieri & Tuto ff. d. cond. & Demonstr. Del. in I. servum C. qui testamenta facere possunt.* Cum nec in legitima, auth. *Bastolo ad L. pater filium. n. 15. cl. 20.* *ff. d. in off. Testam. Claud. de Balland. intr. d. legitima. c. 4. n. 12. & seqq. Ferdin. Vasc. de success. progress. §. 23. n. 108.* *Michael Graf S. jus accrescendi qu. 20. n. 1.* Nec in legato dotis. *Br. in I. hujusmodi §. quibus ff. de legat. 1. Ferd. Vascu. d. success. progress. §. 23. n. 3.* Nec in legato alimentorum. *Pacian. de probat. c. 31. n. 19. lib. 1. Surdus de alimentis tit. 9. queft. 5.* Nec in feudo. *Camil. Borellus in summa decif. lib. I. tit. 34. n. 576.* Quibus tamen Apanagium adsimilatur. Et sane cuiilibet alijs notum, quod jus accrescendi tunc tantum habeat locum, quando quis vel non potest, vel non vult suam portionem habere, non autem, si semel eam agnoscit, & postea demum repudiavit.

§. 24. Sed quoniam tamen supra annotavi, ab aliquibus Apanagium usumfructum, vel quasi usumfructum dici, videtur dicendum, eo magis jus accrescendi habere locum in Apanagiis, quo certius, in usufructu, licet semel portio adquisita fuerit, tamen postea, sive repudiatam, sive alio modo deficientem portioni alterius ad crescere. Verum negavimus jam, Apanagium esse merum usumfructum, sed speciem aliquam Domini utilis, quod ad heredes transit; adeoque uti in ipso usufructu per ultimam voluntatem pluribus relicto hoc est specialissimum, sic ad alias actus similes non extendendum.

§. 25. Quaritur, an in ipsis quoque Apanagiis successione locus sit iuri promigenituræ, uti in ipso Principatu? Nego, quia alimentorum nomine conceditur, quæ omnibus debentur. (2) Interest omnes habere congruam dignitati suæ portionem. (3) Jus primogenituræ non est, nisi ubi specialiter constitutum ac ritè introductum est; in Apanagiis au-

## 22 DISPUTATIO JURIDICA

tem id constitutum non est; neque ex jure, quod in ipsius Principatus successione constitutum est, inferri potest ad Apanagia. Et alias successor Apanagii suis fratribus iterum Apanagium de suo Apanagio constituerre deberet, & horum primogenitus iterum suis fratribus de sua parte, & sic in infinitum. Atque id praxis Imperii & totius ferè Europæ docet.

§. 26. An Apanagiatus filium suum ex causis exheredationis *in Nov. 115. recensitis poslit exheredare, queritur?* Negatur, quia filius non succedit in Apanagio Patri, sed primo constituenti. Quid autem, si pater filium in allodio, vel in parte allodii heredem institueret, ita ut legitimam tantum haberet, sed eum ab Apanagio excluderet, an filius hoc casu adeundo, seu se immiscendo hereditati paternæ, apanagium perdat? Respondetur affirmando, quia factum defuncti testatoris filius praestare tenetur. *arg. 2. feud. 45.* Remedium tamen filio supereft, quo, non obstante Senatusconsulto, *Si quis omissa causa, ab intestato succedere velit testamentum patris rejicere, & hereditatem, & Apanagium adquirere contra ultimam patris dispositionem potest, & hoc probo ex textu notab. l. 77. §. 31. d. legat. 2.*

§. 27. Tractandum nunc sequitur, an ascendentibus Apanagiatorum ex Apanagio quid debeatur? Nego quod si tamen quis in favorem filii, vel nepotis repudiaverit Apanagium, & verò is sine liberis ante repudiantem moreretur, *arg. 2. feud. 14.* dicendum, repudiantem hoc casu ad Apanagium iterum admittendum. Nec hoc casu concurrit frater Germanus, quia pater non succedit filio jure heredis, sed perinde est, ac si filio ad tempus Apanagii utilitatem concessisset, quo elapso, redit ad patrem.

§. 28. An verò Collateralibus successio Apanagiorum competit? Nego, licet in contraria opinione sit *Hottmannus lib. 2. de jure Regni Galliae. Rubr. lex sexta in verb. inquitque sit.* Hinc & arresto solenni anno 1243 cautum, ne amplius Apanagia, deficiente prole mascula legitima ad proximos consanguineos transeant; Apanagia enim in se hoc habent tacite, ut omnes collaterales, et si ejusdem originis sint, excludantur exemplo feudorum Imperialium, in quibus non nisi successioni in linea directa descendentium locus est; ad exclusionem collateralium ejusdem stirpis, *ut ait Calderinus conf. I. sub tit. d. feud. & Hostiens. in summa tit. de feud. c. qualiter.*

§. 29. Quantum ad Regnum attinet Electivum, in quo constitui quoque

que solere Apanagia, supra ostendimus, queri potest, an & hic obtineat successio aliqua Apanagiorum? Posteaquam autem eam collateralibus, ut & ascendentibus in successivis Regnis denegavimus, multo eis ea minus in Electivis poterit competere. Sed annon descendantibus ad minimum ea hic competit? Videtur prima fronte dicendum, quod sic, quia *juxta l. 9. ff. d. probat.* parentes, dum sibi; simul & suis prospiciant descendantibus; verum ultra *quod l. 9.* hic locum non habeat, respondeo, nullam plane successionem hic eis competere posse, sed morte Apanagitorum, Apanagia simul cum ipsis mori atque interire; cum enim ex ratione juris ex Regnis & Principatibus Electivis fratribus ne quidem debeat Apanagia; multo minus ad eorum liberos extensio fieri poterit, sine expresso constituentium consensu.

§. 30. Denique sequuntur & illi, quibus Apanagia ex allodium, vel ex quorundam locorum more & consuetudine, vel libero arbitrio constituta, atque de eorum successione queritur; sed cum hoc Apanagium ex arbitrio disponentium dependeat, eorum mens atque voluntas inspicienda, eaque ex ipsis hac de re confessis, ut solet, instrumentis publicis, vel ex consuetudine ipsa erit addiscendum. Quodsi vero ea non adfint, in dubio illud, quod in Regnis successivis obtinet, observabitur, excepta primo genitura.

§. 31. An in Apanagio locum habeat Falcidia, vel Trebellianica? quæstio hæc ex eo rependet, an Testamenti factio in Apanagiis locum habeat? quod supra tractavi, unde patet, quod quemadmodum testatos non possit imminuere bona Domanii, atque ultra leges vel pacta Apanagiis onerare; ita nec Apanagio semel legibus constituto detrahere potest; quia unusquisque de suis tantum, non vero de aliis ex legis beneficio apud se existentibus seu restitutioni obnoxii, potest testari. Sic nec absolute locum in Apanagio habet Edictum successorium; quia Apanagium non devolvitur jure hereditatis, sed provisionis; nec Apanagium pars hereditatis dicenda. *Job. Tilius lib. 2. d. reb. Gall.* Quomodo autem in Apanagio succedatur, de eo jam supra, cap. 2.

§. 32. An ob delictum commissum Apanagium possit amitti & ob quæ? Fateor multas causas apud Feudistas recenseri, quæ vasallum feudo privant; vix tamen est, ut earum unicam ad amittendum Apanagium admittamus; nisi ob Crimen læsa Majestatis, vel perduellionis. Ratio differentiæ est, quod feuda non, ut Apanagia ad vitæ sustentationem, tanquam alimenta, sed ad servitia ac fidelitatem concedantur, adeo, ut

*inclusum est non lxx. hinc*

hinc facilius delicto amitti, quam Apanagia possint. Quo posito, quæstio sequitur: an, si Apanagiatus ob crimen vel delictum commissum Apanagium amisit, illud redeat ad Domanium, unde desumtum? an verò ad descendentes delinquentis perveniat? videtur omnino dicendum, ad Domanium redire debere: Quod in criminis lœse Majestatis, ex quo bona publicantur, etiam filii ab iis exclusi sint; Verum mitius tamen hoc casu cum filiis Apanagiati delinquentis agendum existimo, qui hæc alimenta non percipiunt jure hereditatis, sed jure provisionis à majoribus factæ. R. A. *Zu Erfurd de anno 1567*. §. wie wohl nuhn / in verb. und der jungen herschafft die gebuhrliche unter haltung und alimenta etc. Hier-auf dann noch weiter / ibi / auch der jungen Herrschaff / deren alimenta halber. *Bossius in pract. Crimin in tit. de alim. pract. n. 3. Socin. cons. 30. n. 3. vol. 1. Riba in l. ex facto §. ex facto n. 9. ad Trebell. Job. Babist. Plotus cons. 130. n 83. Rec. cons. 8. n. 7. Springfield in tract. d. Vet. Major. p. 3. c. 5. n. 99.*

§. 24. Quin is horum alimentorum favor est, ut fratribus minoribus ob Rebellionem vel crimen lœse Majestatis quoque ex Clementia Primo-geniti, non in totum Apanagia auferri, sed tantum minui soleant; sic cum Sbigneo fratri notho Boleslaus Tertius, Rex Poloniæ, appellatus Criovustus concessisset Masoviam atque Cujaviam, & Calissiensem tra-ctum, ille Sbigenus contra fratrem ac Regnum cum Bohemis & Pome-ranis conspiravit, cui, venia à Rege accepta, Masovia tantum relicta fuit.

*Martinus Chromerus in Chron. Polon. lib. 5. in Boleslao III.*

§. 25. Quid autem, si alicui apanagium tanquam fendum concessum, anne hoc casu non modo delinquenti, sed & filiis eorum auferri potest? Hoc casu ex omnibus causis, quibus feudum aliæ, Apanagium quoque amittitur; unde, quod juris est in feudis, circa successiones filiorum & agnatorum, cum possessor feloniam commisit, idem hic quoque obser-vandum; eademque distinctio, an feloniam in Dominum ipsum, an aliter commissa fuerit, in casibus, quibus jure feudali valet, tenenda. Dum enim Apanagium haec tenus induit naturam feudi, omnia in eo observabun-tur, quæ natura feudi requirit. Hinc nechic succedunt liberi naturales z. f. 26. §. *naturales*, etiamsi feudum sit sceminum, cum jus feudale in ge-nere legitimam nativitatem requirat. *Siruv. cap. 9. 3. n. 7.* Ne quidem, si liberi legitimi deficiant. *Schrad. p. 7. c. 5. n. 20.*

§. 26. Et si Apanagium tanquam feudum concessum, præprimis ex in-vestitura videndum, quale feudum concedere Dominus constituens vo-luerit; & sic, prout est vel proprium, vel impro prium, sceminæ admit-tentur, vel non admittentur &c.

§. 28.

§. 27. Contingit & multoties, ut morte Regis, non tantum successio in Regnum, sed & allodialia relinquuntur, in quibus cum de jure communi concurrant minores natu una cum primogenito in successione; nec eorum liberi a successione allodialium excludendi sed pariter hic filii atque filiae admittuntur; non enim aliter, ac de jure Civili alias solet, hic succeditur; adeo ut mirer esse, qui statuant, constituto Apanagio proprio nihil participare Apanagiatis de allodialibus; nec enim in contrarium me ducere potest, quod, teste *Betio de pact. fam. Illustr.* fratri minori ex potentissima familia oriundo tale quid fuerit denegatum; hoc enim juris singularis fuit, particularibus conventionibus adscribendum; imo & pactis moribusque hoc induci potest, unde tamen regula contra jus commune formari nequit.

§. 28. An Apanagiati filio Clerico competit jus succedendi in Apanagio cum reliquis suis fratribus? quæstio hæc ex generaliori dependet; An, et si post geniti aliunde habeant, quo se sufficienter pro dignitate ac statu suo sustentare possint, Domaniū nihilominus Apanagio gravari, ex illo que iis provideri debeat? In hac quæstione diversas diverorum Dd. sententias invenimus. Et quidem, quod tunc cesset Apanagium, sequentia suadent. 1. quod cesset causa Apanagii inductiva, quæ est alimentorum favor; quia alimenta, quæ debentur, sunt miserationis causa, ideo non debentur habentibus modum alimentandi de suo proprio. *Angel. conf.* 369. *Riccius Stelle* 2. *Capell. Tholos. dec. 77. ubi Apostil. dec. conf. 276. in pr. Socin. conf. 121. n. 47. lib. 4.* maxime in beneficiato, cum nec pater teneatur alere filium beneficiatum. *Castrens. conf. 415. viso n. 2. lib. 2.* Ac ita in terminis tradunt *Martinus Landensis de jure Primogeniti* 415. q. 25. *Graf. in S. legiima q. 15. n. 4. Tiraqu. d. Primogen. qu. 4. n. 35. Octavius Bammacar in C. qui Clericus n. 162. cum seq. s. de feudo defuncti: ubi scribit, non deberi Cardinali Apanagium, ac ita contra Illustriss. & Reverend. Dn. Cardinalem Columnam à Sanctiori consilio decretum fuisse, ibidem attestatur. *Betsius in tract. d. pact. famil. illustr. pag. 387.* diversitatem opinionum in hac quæstione distinctionis temperamento conciliare satagit, distinguendo inter consuetudinem, quæ integrum hereditatem relinquit primogenito, nec aliquid dicit de aliis præstandis ceteris fratribus, quod tunc primogenitus iis, si aliunde habent, quo se congrue exhibere possint, Apanagium constituere non obstrictus sit, secus verò si consuetudo relinquat ceteris fratribus vel alimenta simpliciter, vel aliquid alimentorum loco, quod ipsi capiant jure hereditario ac proprio, loco suæ legitimæ ac portio-*

nis; Ita ut ad eos pertineat, non ad primogenitum, quamdiu ipsi vivunt; quo casu teneatur primogenitus præstare Apanagium postgenitis, etiamsi habeant aliunde, quo vivere possint; quod in priore casu totum sit ipsius primogeniti, qui tamen tenet eos alere, si se alere non possunt; in altero vero, quod vice legitimæ, vel alimentorum relictum est, totum sit minorum fratum à Primogenito ad instar legitimæ præstandum, etiamsi habeant, unde se alioquin alere possint. Verum indistinctè dicendum videtur, quod semper Apagatio filii clerici simul cum aliis succedant, etiamsi aliunde habeant, quo sibi idonee de alimentis prospicere possint. Et quidem ob sequentia fundamenta. (1.) quod neminius suum hoc prætextu auferri possit, quia eo non indiget; neque, qui locuples, tenetur ideo partem jurium suorum amittere. *vid. Afflct. a.c. 252. Freccia de subfeud. Baron lib. 3. d. diff. feud. ex part. & provid. & feud. hered. dissert. 19. n. 2. Petr. d. Gregor Siculus de vita & militia qu. 2. n. 8. Suid. d. alim. tit. 5. q. 1. n. 31. Lanfranc. Balb. dec. 141. in fin.* Apanagium autem esse jus legitime debitum, & rite pro omnibus descendantibus constitutum supra vidimus: secus in dote, quæ non debetur, nisi ei filiæ, quæ ipsa conditionem sibi querere nequit. (2.) quod alimenta alicui debita, sive ex dispositione hominis, sive legis, etiam ei debeantur, qui se aliunde alere potest. *Madeftin. Pift. part. 2. qu. 58. (3.) quod satis ex eo liquet, cum is petere possit alimenta præterita, quibusjam amplius non eget. l. libertis quos. §. I. ibi. tam præteriti temporis, quam futuri, & ibi Br. & alii ff. d. alim. & Cibar. leg. l. l. in fin. ibi. si quæ in præteritum prestita non sunt. & ibi Bl. Col. 2. Persic. nota. quod legatarius, & Salycet. col. ult. vers. nunc quæ. 20. (4.) Apagium loco legitimæ habetur. *Quid. Pap. dec. 476. n. 1. & dec. 487. n. 2. Capyc. dec. 2. n. 6. Boer. dec. 204. n. 14. Rub. Conf. 34. col. 3. Bursat. conf. 2. n. 69. vol. 1. Molin. d. Hisp. Primog. lib. I. c. II. n. 28. 29. Franch. dec. 20. n. II. Job. Franch. d. ponte conf. 79. n. II. atqui legitima postgenitis debetur, etiamsi habeant aliunde, quo se exhibere valeant. Molin. d. Hipp. primog. lib. 2. c. 15. n. 25. Enenckel. d. privil. par. privil. 14. p. 1. c. 8. (5.) Apagium fratribus debitum æquiparatur annuis redditibus, denen leib hienten / qui mulieri dantur, etiamsi habeat aliunde, quo se sustentet, in tantum, ut licet ad secunda vota transeat, tamen usque ad mortem ejus eos accipiat, ac ita communiter Dd. tam in lecturis *Job. Irem in Conf. cap. Comitibus, Paris de puto de finibus feud. c. 4. in Cap. nunc videndum n. 28. fol. 177. Intrigol. d. feud. q. 57. n. 20. cent. 1. Job. Anton. d. Nigrus in c. Regni alienationis actus. n. 16. quam consiliis. Menoch. conf. 411. n. 6. vol. 5. Minundo conf. I. n. 67. Garsia***

*Garsia Mastil. Dec. 83. n. 20. ac dec. Afflitt. dec. 288. n. 4. Mastil. dec. 85. n.*

11. tradunt ac sentiunt; quam sententiam etiam praxis roborat.

§. 29. Offert se & illa quæstio. An Apanagiatus in apanagia succedens, ex eo teneatur ad æs alienum a defuncto contractum? ad quam pro varietate concessionis respondendum. Si ut proprium Apanagium, succedens ex Apanagio ad æris alieni exsolutionem non tenetur; quoniam non ut heres defuncto, sed ex jure majorum succedit. Hinc si defunctus & allodialia relinquat æri alieno non sufficientia, potest succedens sine ullo suo damno in utrisque succedere. Quod si vero Apanagium tanquam feudum concessum, rursus idem, quod in feudis obtinet; quod filii ad æs alienum teneantur, non autem agnati, qui solum succedunt ex providentia majorum, modo à primo acquirente descendant.

§. 30. Cæterum Apanagiati non succedunt in jura regalia vel territoria-  
lia, sed tantum in utilia; unde & vectigalia loci Apanagiati, & jura col-  
lectandi &c. ad primogenitum spectant, nisi ipsi in specie quædam relista  
sint. Sed nec ad Comitia Imperii vocantur, nec judices Austregales ex  
primo, secundo, & quarto modo esse possunt. *Ord. Cam. part. 2. tit. 2.  
§. 2. voc. Regierende t. 3. §. 1. 5.*

§. 31. Nec denique Rex, ad quem, nullo existente succedente, jure do-  
manii reddit Apanagium, ad æris alieni exsolutionem tenetur; nisi consensu  
& voluntate sua Apanagium oppignoratum; vel æs alienum in utilitatem  
Apanagii conversum; quod ultimum etiam locum habet, in succeden-  
tibus in Apanagia.

Hæc ad modum, si non dignitatis materiæ, quæ amplissima  
est, at disputationis, cuius angustiora sunt spatia, & mei in primis  
instituti sufficient; in quibus si quid mihi à veritate alienum dictum est,  
id nec dictum esto. Deo interim debitas persolvo gratias, qui & studiis  
meis benignissime hactenus assistere, atque eo dirigere res meas voluit, ut  
Summorum meorum Patronorum, ac maximorum Mecænatum jussu Be-  
rolino in hanc almam Academiam proficiisci, atque in ea, cum Civilis, tum  
naturalis, & Gentium Juris solidissimas rationes atque principia, quæ  
non modo in privata, sed publica quoque omnium Gentium jura latissimè  
patent, ex Dn. H. Coccejo, U. J. D. & JCto Excellentissimo, meoque,  
nunquam non omni submissæ observantiaz genere Colendo præceptore ad-  
discere potuerim.

# COROLLARIA.

I.

*Potest summa Potestas, bellum gerens, prævenire hostem,  
occupando locum pacatum, sibique eum jure meritoque,  
in perpetuum retinere.*

II.

*Feudum in Curtè non rectè dicitur Vasallo in Territorio Do-  
mini constitutum, sed est situm in aula, & habitatione.*

III.

*Licet defunctus fratrum liberos tantum relinquat, tamen hi  
simil cum ascendentibus ei ab intestato succedunt.*

IV.

*Distinctio inter procuratorem cum, & sine libera, nec ex  
jure Civili, nec Canonico probari potest.*

V.

*Rectius summae potestati imperium, quam Dominium eminens  
in bona subditorum competere dicitur.*

VI.

*Quod liberi suis parentibus ab intestato succedant, non conje-  
cturis, sed juri naturali certissimo adscribendum.*

F I N I S.